



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Compectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs X. De obiectis actuum intellectus, & voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

non propria, & increata nolitionis, sed duntaxat nolitionis creatæ, cuius quam sit incapax, nemo sit qui non capiat. Ex quibus patet, Recentiore hunc, cuius placitum retuli, in eo, in quo à nobis dissentire conatur, minus verè sentire: ingenuitatem tamen eius laudo, qua nobis in puncto principali subscribit.

TRACTATUS X.

De Obiectis actuum intellectus, & voluntatis.

CAPVT I.

Obiectum in communi, & eius cum actu comparatio.

OBIECTVM VT sic est, quod alicui potentia mediis suis actibus obicitur, seu poponitur; qua ratio ne color visus, sonus auditus facultatis, dolor facultas, bonum voluntatis, verum intellectus, obiecta dici assolent. Porro autem potentia, seu facultas alia est vitalis, quales sunt enumeratæ, aliaque similes: alia est non vitalis, cuiusmodi est omnis potentia transiens, & operatiua ad extra, vt aiunt, aut etiam ea, quæ suas proprietates ad intrâ, & immanenter producit, veluti ignis sui, aut ligni sibi appliciti calefactiuus: illud, in quod prior potentia suos actus dirigit non solum à nostris scholasticis; sed etiam à priscis illis latinis obiectum propriè appellari consuevit; sic Cicero 4. Acad. *Visum obiectum est à Deo dormienti.* sic idem 1. de finibus *victi, & debilitati obiecta specie voluptatis tradunt se libidinibus constringendos.* Illud, in quod posterior potentia mediis suis actibus fertur, obiectum etiam nuncupatur à multis scholasticis: quo pacto creaturæ possibiles dicuntur obiectum diuinæ omnipotentia à P. Mol. 1. p. q. 25. art. 3. P. Vasquez t. 1. in 1. p. disp. 104. cap. 4 n. 1. P. Hurr. disp. 1. log. S. 1. & aliis passim. Quidni vero? quod enim relatio Dei ad creaturas physica sit, in contrarium non obstat: namque situs, & indistantia relatio physica etiam est; & tamen obiectum constituit, & denominat, usque loquendi modus etiam extrâ scholam philosophorum vsitatus est. Ità Virgil. 3. Georg. de flagrantibus amore, atque in furias, ignemque ruentibus equis loquens, eos ait.

Non scopuli, rupeque caua, atque obiecta retardant:
Flumina, correptos vnda torquentia montes.

Obiectum nonnunquam materia, circa quam, nonnunquam subiectum vsurpatur, quia sicut actio causæ physicae circa materiam, passum, siue subiectum suum versatur, ad illudque physicè, & intrinsecè informandum destinatur, ità etiam actio intentionalis circa suum obiectum versatur, & ad illud extrinsecè, & intentionaliter informandum ordinatur. Quo pacto Auerroës 3. de anima comment. 5. vocat phantasma corporeum speciei intelligibilis subiectum, eò quod eius obiectum illud putet esse, vt rectè annotat Caietanus 1. p. q. 76. art. 1. Neque alium explicatum eò loci suscipit commentator; qui nimirum in eo errore fuit vt animam rationalem, vllamve formam spiritalem in subiecto corporeo physicè recipi posse inficiaretur, at species intelligibilis, merito cuius anima nostra intelligit

spiritualis est, vt constat: vbi igitur in phantasmate corporeo eam suscipi adasserit, non de subiecto physico, sed de subiecto intentionalis, siue de obiecto exponendus est. Enimvero hæc vsurpatio subiecti pro obiecto non solum æquiuoca est vt Caiet. vbi supra aduertit, sed etiam minus propriè, nedicam omnino aliena. Tum quia inter obiecta attributa scientiæ illud magis propriè subiectum dici amat, de quo aliquid cognoscitur, aut enunciat, quod autem cognoscitur, affirmaturve de alio non subiectum, sed prædicatum propositionis, vt plurimum dici consuevit, vt cernere est in hac propositione *homo est animal*, cuius prior terminus subiectum, & posterior prædicatum. Tum etiam, quia subiectum strictissime sumptum non pro vllò attributo, sed pro solo attributionis obiecto vsurpatur, vt infra lib. 8. tract. 5. videbimus. Tum denique quia obiectum rigorosè sumptum intellectui cum quauis aliâ facultate vitali, nimirum voluntate, sensu interno, & externo commune est: At subiectum propriissime sumptum solius scientiæ ad intellectum attinentis est: significatio igitur obiecti à subiecti significatione diuersa, sicut omne obiectum summa cum proprietate subiectum dici minime sustineat. Quod autem subiectum nisi solius scientiæ non sit, satis compertum, exploratumque: quis enim bonum, in quod afficitur voluntas, amoris subiectum, aut amorem, odorem, aliamve id genus sensibilem qualitatem sensationis subiectum esse censet, tanta quidem proprietate, quanta voluntas ipsa, & sensus eiuscemodi actus suscipiunt?

Opera pretium erit, & ad notitiam exactam obiecti vt sic conueniens explicare, an si quando idem seipsum intentionaliter attingit cognoscere, aut amat, hoc ipso fuimet obiectum propriè dici debeat. P. Herize 1. p. disp. 4. cap. 1. n. 5. & 6. nihil sui ipsius obiectum strictè esse, aut posse negat: cuius sententiæ, aut potius loquendi modus hisce probamentis suadet. Obiici est referri: nihil autem propriè ad se refertur, quin omnis relatio vera est ad aliud: nihil igitur sibi ipse obicitur: item obiici est vnum poni contra aliud, siue quasi è regione alterius: at nihil contrâ se ponitur. Rursus Aristoteles lib. 5. Metaph. cap. 15. hæc habet *mensurabile, scibile, & intelligibile eo quod aliud ad illud dicitur*; vbi mensurabile cum obiecto scibili, & intelligibili componit, atque vtrumque ex æquo à termino suo distingui significat, vt voculam, aliud, expendent liquebit: sapissime etiam alibi ea nullo facto discrimine relationem prædicamentalem tertij generis ad terminos suos habere tradit: cum ergo mensurabile propriè acceptum mensuram à se realiter distinctam suo sibi iure vendicat, ac iuxta omnes nihil sui mensura rigide esse possit, profecto similiter obiectum scibile, seu intelligibile, si propriè obiectum sit actum à se realiter distinctum exposcet: sicubi igitur actus in se reflectit sui propterea obiectum strictè dici haud merebitur.

Hæc, etsi verisimilia sint, verior tamen, & communior est eorum opinio, qui aliquid fuimet obiectum verum, propriumque agnoscunt: quos inter P. Montoya disp. 5. de scientia Dei cap. 2. multis id, ac luculentis testimoniis comprobatur: ego in primis sic argumentor: aliquid esse cognitum, aut amatum propriè est illud quoque propriè obiectum esse pro eo, ac omnes communiter sentiunt, & loquuntur: proinde si aliquid à se propriè amatum, aut cognitum sit, quidni etiam fuimet obiectum eadem proprietate dici possit, ac debeat; præsens quidem controuersia de vocabulo fermè tota est, vocum autem

vsus

C A P V T II.

Obiectum formale, & materiale.

usus loquentium arbitrio constat, & hoc nobiscum facit, ut dictum est, utque auctores perlegenti clarebit. Quare secundo, sic argumentor: Deus se ipsum cognoscens semet veluti obiectum respicit, idque non fuscè, & alienè, sed prescè, & rigorosè: quis namque dicat, Deum se cognoscentem, vel amantem ab omni obiecto, ac scopo penitus aberrare, & quasi ad inane collimare: atqui se per seipsum, & non per actum realiter distinctum, sibi que accidentarium attingit; aliàs non omnis mutationis futurus expers: aliquid ergo suimetipsum obiectum est. Equidem usque adeo receptum, & compertum est, Deum cognitionis suæ circa se, amoris que obiectum esse, ut Argentinas imperium dist. 35. q. 1. Durandus q. 2. Capreolus etiam q. 2. art. 1. Caietan. & innumeri alij censeant, Deum esse obiectum primarium eius cognitionis, quâ creaturas cognoscit, has vero non nisi obiectum secundarium; cum tamen cognitio diuina ab hoc distincta, & ab illo, quod præcipuè obiectum est, indistincta existat.

Iterum tertio: haud magis oportet, obiectum distinguere ab actu, cui obicitur, & ad quem quodam modo refertur, quam obiectum materiale distinguere à formali propter quod attingitur; & ad quod refertur; quæ enim, oro, distinctionis necessitas maior hic, quam illic, quando utrobique par ratio esse videbitur? ostendam autem cap. sequenti obiectum materiale indistinctum aliquando ab obiecto formali realiter esse, nec nisi ratione ambo scerni: obiectum ergo actum non realiter, sed ad summum ratione distinctum postulat; adeoque, si quando actus in se flectit, sui obiectum eadem munere solius distinctionis rationis, quam infra explicabo.

Prima ratio contraria difficultatem non facessit: etenim obiecti physicè est physicè, ac propriè referri ad aliud; eaque ratione nihil sui obiectum strictè est. Cæterum obiecti intentionaliter non est propriè, ac prædicamentaliter referre, aliudque non est, quam amari, aut cognosci, siue intentionaliter referri: sicut ergo quidpiam à seipso amari, aut cognosci, ita etiam sui obiectum optimâ ratione esse valet, prout videlicet obiectum modo in quæstionem vertitur. Secunda ratio de obiecto etiam physicè, & prædicamentaliter sumpto procedit, & in rationem priorem iam iam solutam recidit.

Postrema ratio, auctoritati Aristotelis innixa, non est magis momentosa fateor enim, si sermo sit de obiecto intelligibili, aut scibili per scientiam, aut intellectionem realiter distinctam (quo de agit Aristoteles veluti magis noto, & recepto) contendi illud posse cum mensurabili, atque ut hoc à mensurâ suâ realiter distinguitur, & ad eam prædicamentaliter refertur; ita similiter illud contemplatione sui actus, siue scientiæ sese gerere. Illud inficias eo, omne obiectum intelligibile, aut scibile mensurabilis instat esse, & huius ritu à termino suo distinguere debere. Discriminis ratio in promptu est; aliquid enim seipsum cognoscere vel amare verè potest, ut in præfenti omnes permittimus: nihil vero seipsum dimitiri, vel physicam, ac propriam relationem mensuræ respectu sui sortiri potest, ut veluti omnibus indubium supra insinuauimus: intelligibile, ergo, aut scibile aliquod suimet obiectum propriè erit, ut ut omne mensurabile nisi ad mensuram à se realiter distinctam non referatur.

Elebris, atque inter scholasticos iam diu recepta obiecti diuisio est in formale, & materiale: illud definit P. Hurt. disp. 1. Log. sect. 1. *quod primum cognitum, aut amatum ducit in cognitionem, aut amorem alterius*; hæc vero quod propter aliud cognoscitur, aut amatur. Vtraque definitio eo nomine P. Roderico disp. 1. sect. 1. & aliis displicet, quod ad obiectum formale necessum non sit, ut aliquid propter illud cognoscatur, aut ametur? siquidem intellectus unicâ veritate propositâ, cui propter se assensum præbeat, eam veluti obiectum formale respicit; & tamen eo in euentu nihil aliud propter eam veritatem dignoscitur: non igitur est de ratione obiecti formalis intellectus, ut prius cognitum in alterius cognitionem ducat. Idem etiam argumentum pari momento confici potest in voluntate, ei si vna sola bonitas repræsentetur, in qua velut obiecto formali sistat, & quiescat.

Cæterum hæc obiecto facili negotio repelli potest. Principio enim verba in definitionibus non tam actum, quam aptitudinem significant, ut fert commune proloquium, quocirca perinde est obiectum formale esse *quod ducit*, &c. ac quod ducere potest in alterius amorem, aut cognitionem: ac obiectum formale quocunque in euentu ducere potest in alterius amorem, aut cognitionem; esto non in omni euentu de facto, ut aiunt, & actu ducatur: licet enim sola essentia hominis v.g. intellectui proposita, ita ratione sui illius assensum terminet, ut in alterius veritatis cognitionem, & assensum non ferat, suapte tamen naturâ ferre potest in notitiam alterius veritatis, videlicet proprietatum, & effectuum hominis, quæ ab eius essentia dimanant, fluuntque, & ex eâ vestigari possunt: idemmer cernere erit in voluntate ab vno duntaxat bono allecta.

Rursus secundo, ea obiecti formalis definitio etiam intellecta de amore, aut cognitione alterius obiecti prius cogniti, aut amati non solum aptitudinali, verum etiam actuali sustineri valet, non ita ut propter obiectum formale aliud absolute cognoscatur, aut ametur; sed tantum conditionatè: quasi sensus sit, si duo obiecta inuicem subordinentur, & non æquè primo tangantur, illud esse obiectum formale, quod in alterius cognitionem aut amorem ducit; materiale vero, quod contemplatione alterius cognoscitur, aut amatur. Item tertio ducere in cognitionem, aut amorem alterius bifariam accipi potest: videlicet positivè; & in hoc sensu definitio posita difficultatem aliquam habet: aut permittivè; & sic definitio illa facile defendi potest, quoniam nunquam est contra rationem obiecti formalis, ut in alterius cognitionem, aut amorem ferat, tamen id suapte naturâ non postulet, & absque eo positivè reperiri sustineat: est tamen aduersus rationem obiecti materialis, si purum materiale sit, ut in alterius cognitionem, aut amorem conferat.

Præterea quarto: si cognitio, & amor in se reflectant, eaque reflexio omnibus, & singulis essentialis sit, ut plures doctores satis probabiliter autumant; nullum erit obiectum formale, cuius ergo aliud materiale absolute, & positivè non attingatur: ut minimum enim amor, vel cognitio obiecti formalis

malis seipsam propter illud respiciet, ac respectu illius reflexe cognoscet, vel amabit. Denique quidquid intellectus cognoscit, aut voluntas amat, id in veritatem, & bonitatem referunt; sed bonitas, & veritas saltem ratione distinguuntur ab eo, quod verum, & bonum denominatur: semper ergo defendi potest, obiectum formale trahere in cognitionem, & amorem alicuius, quod ab eo quodammodo distinguitur: etiam si enim aliquando vnum duntaxat verum, bonumve intellectui, aut voluntati proponatur, licebit tamen in eo distinguere id, quod verum, bonumque nominatur ab ipsa veritate, ac bonitate, gratia quarum alterutrum amatur cognosciturve.

12. Et si impugnauius quod in prædicta definitione obiecti formalis, ac materialis displicuit aliis, videamus iam quid in ea nobis minus ardeat. In primis ergo improbat: quia conceptum commune per differentias inferiores explicat, scilicet obiectum in communi, per obiectum intellectus quod in alterius cognitionem ducit, & obiectum voluntatis quod in alterius amorem allicit, & quibusdam illecebris inuitat: quare à definitione in diuisionem transit. Ad hoc, definitum per conceptus secundarios explanat, & non per primarios, quemadmodum si quis hominem per risibilitatem definiret: Etenim in obiecto formali prius est ratione nostra illud attingi propter se, quam quod in alterius attingentiam ducat, quando ideo ex. c. potio amara respectu sanitatis amatur, quia sanitas propter se amatur, & non è diuerso, ideo sanitas gratia sui amatur, quia potio amara illius gratia, & contemplatione amatur. Quamobrem ea definitio per conceptus secundarios definitum explicat, ac proinde in descriptione degenerat.

13. Vterius: doctrina, seu disciplina exterior magistri prius cognita ducit in cognitionem alterius, obiecti, videlicet in scientiam, qua discipulum erudit; & tamen scientia, quam discipulus à magistro discit, non habet pro obiecto formali externam propositionem seu doctrinam magistri, perperam igitur obiectum formale terminatur quod prius cognitum in alterius cognitionem ducit. Minor suadet: quoniam alias scientia, quam discipulus edocetur non esset scientia, sed fides, cum habeat loco obiecti formalis, cui innititur, dictum Magistri, seu eius externam propositionem, ac doctrinam, quam coram discipulo proficitur. Quod in fide diuina magis vrgeri potest, quæ non habet pro motiuo aut obiecto formali externam propositionem Ecclesiæ, eiusve humanam auctoritatem, sed solum pro conditione obiectiua, cum solius Dei reuelantis auctoritati nitatur, alias fides nostra aliqua ex parte humana, & non merè diuina futura esset, quam doctrinam ipse Pater Hurtad. quo cum lis nobis est disp. 7. de fide sect. 3. inter alios rectè explicat, & confirmat: nihilominus tamen externa, & humana Ecclesiæ propositio prius cognita in fidem, & cognitionem mysteriorum supernaturalium nos ducit: igitur non omne, quod in alterius notitiam ducit, motiuum, siue obiectum formale propterea nuncupandum est.

14. At enim dices, externam propositionem Ecclesiæ, doctrinamque magistri non tam ducere in fidem rerum supernaturalium aut scientiam naturalium, quam esse conditiones, sine quibus, nec auctoritas Dei reuelantis in assensum fidei, nec veritas præmissarum in assensum scientificum ducerent intellectum credentis, vel addiscentis, iuxta illud August. *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesia auctoritas moueret.* Vbi vocula *nisi*, non obiectum formale quod intellectum ducat, sed meram conditionem

sine qua non obiectiuam exprimit. Hæc tamen euasio ex facili præcluditur: aliud enim est, esse meram conditionem, sine qua non aliud esset obiectum formale, quin ex hoc ipsa sit obiectum formale, aliud esse meram conditionem sine qua non aliud duceret in notitiam alterius rei, quin tamen ipsa eiusmodi munus ducendi gerat. Priorem rationem conditionis in externam propositionem, & disciplinam præceptoris humani, aut diuini conuenire vtrò fateamur, & id August. verba conuincunt:

15. Posteriorum rationem conditionis in eam cadere inficiamur, idque inficiandum esse ipsa etiam Aug. verba ex eius lib. contra epist. fundam. cap. 5. adducta persuadent. Ecquid enim est, mouere, quodammodo quam ducere? cum ergo testimonium Ecclesiæ mediata moueat, vtrique etiam ducet in fidem supernaturalem, quantumcunque eius obiectum formale esse nequeat. Ad hoc: propositio, & doctrina magistri supplet absentiam, & inevidentiam obiecti, & agit id quod eius præsentia, & euidencia esset effectura: At obiectum præsens, & euidens in sui notitiam duceret: ergo & eius propositio per alium facta in illius notitiam ducet. Item 3. exterior propositio Magistri est signum instrumentale eius quod proponit: huiusmodi autem signum teste Aug. de princ. dial. cap. 5. & lib. 2. de doct. christiana c. 1. *est res præter speciem quam ingerit sensibus aliud ali- quid ex se faciens in cognitionem venire*: exterior igitur, & vocalis propositio magistri in cogitationem, seu cognitionem venire facit, adeoque in eam ducit, quin tamen sit obiectum formale. Quod autem exterior propositio, & doctrina vocum ministerio facta sit signum instrumentale, indubitatum est, & ab Aug. post superiora verba traditur: exemplum enim signi à se definiti in animantis voce exhibet.

CAPVT III.

Verior obiecti formalis, & materialis explicatio: & vtriusque cum conditione obiectiua comparatio.

16. **E**Xpeditius ergo, & melius me iudice definitur obiectum formale, quod propter se attingitur: & materiale, quod propter aliud attingitur. Ita fermè P. Ripalda lib. 3. d. de ente supernaturali disput. 45. in ipso eius vestibulo. Non procul abest Gabr. apud quem obiectum formale est, quod habet in se rationem vnde attingatur, & materiale quod habet in alio rationem vnde attingatur. Parum etiam, aut nihil differunt multi alij scholastici, iuxta quos obiectum formale est motiuum actus, per quem attingitur, siue id quod mouet, suadet, atque inclinat ad eiusmodi actum; materiale vero, quod actum duntaxat terminat. Paradigma obiecti formalis est sanitas propter se amata, aut syllogistica præmissa assensum propter se obtinentes: Paradigma obiecti materialis est phlebotomia respectu solius sanitatis amata, vel syllogismi obiectiua conclusio, nisi propter præmissas assensum minimè assecutura.

17. Tametsi difficultates eæ, seu quas struximus super. cap. seu quas eo destruximus nullum obiecto formali, & materiali proptè à nobis definitio negotium facessant, aliæ tamen supersunt, quas explicari oportet, ne fortè incautos implicent. Primum, quando quis Deum esse, aut creatorem esse ex creaturis suis colligit, Deus harum interuētus, seu, quod aiunt, medio cognitus, haud dubiè est obiectum materiale, & tamen propter se attingitur: propterea ergo defini-
nitor

nitur obiectum formale, quod propter se attingitur; quandoquidem talis definitio aliis à definito congruit. Antecedens vero esse constat: ideo namque Deus attingitur per eam cognitionem, quoniam ipse eam efficit, alias neutiquam cognoscendus, hic autem concursus effectiuus sufficit; ut Deus eo quidem actu propter se attingi dicatur: vocula enim, propter actionem etiam causæ efficientis denotat; ita B. Thom. 1. p. q. 87. art. 2. ad 3. & q. 10. de veritate art. 9. ad 3. quem sequuntur alij multi, explicans illud Aristotelicum axioma *propter quod unumquodque tale, & illud magis tale*, ait particulam propter duplicem habere significatum, alium quo causalitatem effectiuam, alium vero quo motionem finis, & obiecti formalis propriam indigitat, atque in priori significato illud esse falsum, in posteriori verum: quamuis enim ferrum sit calidum ut octo propter ignem, non propterea ignis est magis calidus: quoniam vero medicina amatur propter sanitatem, hæc utique debet esse magis amata. Possum ergo sit, particulam, *propter*, significare causalitatem effectiuam iuxta Arist. B. Thom. & plerisque scholasticos, quibus consonat Cicero lib. 2. de inuentione; *in faciliare copia, & potestas earum rerum, propter quas aliquid facilius fit, aut sine quibus omnino confici non potest, consideranda est*. Item lib. 5. Epist. in quadam luceij ad ipsum qui propter acumen *occultissima perspicis*. Cum ergo Deus supradictum actum efficiat eo quidem propter se attingitur, quin tamen eius sit obiectum formale, ut supponimus.

18 Respondeo voculam, *propter*, significare tam actionem causæ efficientis; quam motionem finis, siue obiecti formalis; cæterum posteriorem hanc significationem esse magis propriam, & rigorosam, priorem vero esse, vel omnino alienam, & impropriam, vel certe esse minus propriam, ut animaduertunt nostri Conimbricenses lib. 2. Physic. questione 1. artic. 1. Hoc supposito: cum diximus, obiectum formale esse, quod attingitur propter se, id dictum puta iuxta significationem magis propriam eius dictiuncula *propter*: quando vero Deus est obiectum materiale eius utique cognitionis, per quam in creaturis veluti in imaginibus suis elucet, attingitur quidem propter se, ac vim suam effectiuam, sed tamen iuxta alienam, minusve propriam significationem eius particula, *propter*, atque adeo in Deum, quando non est obiectum formale, sed materiale, nostra obiecti formalis definitio neutiquam continet.

19 Secunda aduersus nostram doctrinam obiectio, & priori non absimilis sit. Deus optimus maximus est motuum omnis cognitionis creatæ ad eum terminatæ: sed non est obiectum formale omnis cognitionis creatæ ad eum respicientis: perperam ergo dictum est à nobis, obiectum formale suapte naturæ, & essentia esse motuum actus, quo attingitur. Assumptio est in propatulo: namque eius cognitionis, qua Deus in speculo creaturarum à nobis videtur, ex earumque similitudine vestigatur, non obiectum formale, sed materiale est, Maior haud ægre probatur. Etenim Deus est causa efficiens cuiusvis cognitionis creatæ ipsum attingentis: At causa efficiens ab Arist. 2. phys. cap. 7. text. 70. per antonomasiam dicitur *id quod mouet*: Deus igitur est motuum cuiusvis cognitionis creatæ se insipientis. Respondeo iuxta nuper dictam motionem aliam esse physicam, & effectiuam, qua de loquitur Arist. textu citato, aliam vero intentionalem, ac veluti finalem, & hæc est propria obiecti formalis, deque eâ sermo est, cum definitur obiectum formale motuum sui actus: Quamobrem cum

R. P. Ricardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

Deus non sit hoc posteriori modo motuum omnis actus ad se respicientis, nihil mirum, quod nostra obiecti formalis definitio nunquam materiali conueniat.

Rursus tertia obiectio fit. Si obiectum formale esset quod propter se attingitur, sicuti à nobis definitum est, profecto obiectum formale hoc ipso esset vera causa; consequens est absurdum; Deus enim est obiectum formale cognitionis, & amoris, quibus se præsertim cognoscit, & amat; & tamen eorum actuum vera causa non est, cum ab iis non distinguatur; nihil autem sui vera causa esse queat: sequela verò suadetur; nam causa in communi, prout in quatuor genera sua patet, ex Aristot. lib. 2. phys. cap. 7. text. 68. definitur, *id, quod reddimus, cum propter quid res quæque ita se habeat, inquiritur*: Vide Conimbr. ubi supra. Proinde si obiectum formale est quod propter se attingitur; sanè ex hoc vera causa esse debet.

Occurendum etiam huic argumento, ac dicendum, obiectum formale aliquando quidem esse veram causam actus: nimirum quando hic ab eo distinguitur: Quidni vero? cum tunc influat esse in aliud, quæ est his temporibus receptior causæ finitio. Aliquando vero obiectum formale non esse veram causam, scilicet quando non distinguitur ab actu, ad quem mouet, ac sollicitat, ut in Deo vsuuenit: Neque vero mirum est, obiectum formale alicuius actus esse propriam causam, & alius non esse causam, tamen eius sit obiectum formale; siquidem materia, esto respectu animæ rationalis, & belluinæ materia, ac subiectum sit, huius tamen, non illius causa materialis, iuxta omnes, est: Item anima equina v. g. materiæ quidem, & totius compositi vera forma existit; & tamen huius solius causæ formalis est, non verò illius; ut fert communior & verior opinio; similiter ergo obiectum formale vnius actus causa non verò alterius esse poterit: Porro definitio causæ numero super. ex Arist. de prompta contrarium haud efficit: ita enim intelligenda est, ut causa sit, propter quam aliud quippiam est, vel fit: Cum ergo obiectum formale non semper sit aliud obiectum formale, sed interdum ad actum distinctum, interdum vero ad indistinctum, secumque eundem moueat, profecto non semper debet esse vera causa sui actus, sed tantum aliquoties, adeoque Deus obiectum formale actus sui esse poterit, tamen non vera causa.

Sed enim aliqui huic solutioni repugnabunt, ij nimirum, qui motionem obiecti formalis, siue finis, cui obiectum formale valde affine est, nunquam esse veram causalitatem adstruunt, inter quos est P. Hurrad. disput. 8. Phys. sect. 1. §. 9. & disp. 13. de Anima sect. 7. §. 28. sed immerito, ut in Physica latè probauimus. In præsens sufficiat hanc sententiam loco superius citato Arist. manifestè opponi, & oppositam ac nostram esse receptum dogma, & quasi primum principium in Philosophia, & Theologia, ut his verbis pronuntiat P. Suarez disp. 27. Metaph. sect. 1. n. 7.

Contra vero Thomistæ non pauci, quibus adherent P. Montoya de scientia Dei disp. 5. sect. 5. & P. Fasolus 1. p. q. 14. n. 9. dub. 1. & 2. artic. 10. docent, obiectum formale semper esse veram causam actus, cuius est obiectum, atque adeo in Deo non habere locum obiectum formale, & materiale, si nimirum sola eius immanentia prædicata spectentur. Verum probabilius est P. Hurt disp. 2. de fide sect. 1. §. 6. in Deo etiam esse obiectum formale, quo suos actus quantumcumque ab ipso, & inter se inuicem indistinctos specificet. Namque primo Deus non frustra, & in cassum fertur semetipsum amans, aut cognoscens: ergo ob aliquod obiectum formale, quod eorum actuum nequit non esse Deus ipse, quando in creaturas non

N n 3

feruntur.

feruntur. Secundo: Dei operatio ad extra in eius voluntate consistit, ut in loco ostendimus; Deus autem operatur omnia propter semetipsum: eius ergo operatio, seu creatio, & consequenter volitio est propter seipsum, sicuti ad obiectum formale oportet. Deinde tertio: actus immanens Dei eum duntaxat respiciens aliquam habet formam, & essentiam: ergo & aliquod obiectum formale, à quo ea specificetur, non autem aliud, nisi Deum ipsum. Hinc impugnatur prius Thomistarum dictum: nam Deus non est causa suorum actuum; eorum tamen est obiectum formale, hoc ergo non semper vera causa rationem obtinet. Adice, negationes, & chymæras aliquando esse obiecta formalia, veluti si quis bonum impossibile, quod tamen possibile appareat, propter se efficaciter amet, aut etiam esto impossibile appareat saltem ineffaciter amet ratione sui. At iuxta non paucos eorum, quibus cum disceptamus, negationes, & chymæra veram rationem causæ etiam motiua, & finalis habere nequeunt, defectu nimirum existentie ad omnem causalitatem veram iuxta plerosque requisita.

24 Quarta obiectio sit, conditionem obiectiuam fidei diuinæ, eiusque propositionem non esse illius obiectum formale: ut superius statuimus ex meliorum Theologorum sententia; & tamen fidem esse propter illam iuxta illud Ioann. cap. 4. *Multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quaecunque feci.* Obiectum ergo formale non est quod propter se attingitur. Vnde P. Hurt. disp. 7. de fide sect. 3. subsect. 4. §. 2. tenet, fidem esse propter conditionem obiectiuam motus prædicto Ioann. loco, cum tamen conditionem obiectiuam ab obiecto formali distinguat.

25 Respondeo primo, aliud est fidem fuisse propter dictum, & propositionem mulieris; aliud vero, fidem attingisse, dictum mulieris propter se proprie, & immediate. Prius illud verum habet: quoniam propositio mulieris per modum causæ efficientis, aut quasi efficientis excitauit species productiuas fidei, & earum interuentu in fidem ipsam influxit; hoc enim denotat vocula, *propter*, iuxta paulo supradicta. Posterius vero est falsum: quoniam fides diuina nunquam attingit proprie, & immediate dictum, vel propositionem humanam alicuius, & eius reuelationem. Quandoquidem ergo obiectum formale posuerimus esse quod propter se attingitur, dictum autem mulieris ita non se habuerit respectu fidei Samaritanorum, haudquaquam sequitur ex nostra doctrina, eiusmodi dictum rationem obiecti formalis obtinere, quantumlibet propter illud fides ea quodammodo fuerit elicitæ.

26 Respondeo 2. eo Ioann. loco sermonem fuisse non de solo assensu fidei, sed de toto eius processu, quatenus & includit iudicium euidens, ac moraliter certum de credibilitate mysterij ad eius fidem præuium, ac necessarium, quod optime explicat noster Aigid. disp. 2. de obiecto fidei. dub. 5. num. 56. necnon etiam quatenus claudit voluntatem acceptandi fidem ex eo iudicio deriuatam, quam recte explicat P. Valenti. tom. 3. disp. 1. de fide q. 1. punct. 1. §. 8. Hoc supposito, transeat voculam, *propter*, eo Ioann. loco significare obiectum formale: id tamen verum erit non respectu ipsius assensus fidei, sed iudicij, & voluntatis proxime explicatæ: Iudicium enim quo Samaritani fidem à muliere propositam euidenter creditilem arbitrati sunt, & voluntas eam acceptandi habuere pro motiuo, & ratione suadente, & in-

clinante verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quaecunque feci: nihil vero est quod cogat ipsam Samaritanorum fidem prout à supradicto iudicio, & voluntate distinguam, aut fuisse propter dictum mulieris, aut illud habuisse pro obiecto formali, quæ duo in idem incidere putamus.

27 Postrema obiectio iam iam exculcata nos cogit, ut discrimen obiecti formalis à conditione obiectiua breuiter explicemus, fidei enim diuinæ conditio obiectiua non obiectum formale est humana Ecclesiæ, propositio: scientie etiā studio nostro acquisita conditio obiectiua & non obiectum formale est doctrina magistri, ut supra cap. 2. statuimus, Atque ut illud prius exponere Theologi, ita hoc posterius enodare Dialectici munus est, plane ut locus hic non omnino alienus esse videatur. Primum ergo dicendum est, solum obiectum formale intrinsecum, & immediatum proprie, ac simpliciter esse obiectum formale; quod vero est obiectum formale extrinsecum, & mediatum id nisi improprie, & secundum quid, vti aut non esse obiectum formale, more causæ, quæ si mediata, ac remota sit, non nisi improprie, & metaphoricè causa est, ut in physica latè ostendimus, & etiam cap. seq. perstringemus. Constat autem, nec fidem, nec scientiam prout tales immediate, & intrinsecè ferri in propositionem externam, & præuiā rei credendæ, aut sciendæ, sed alteram repræsentare intrinsecè rem, & eius causas certas, & infallibiles nempe veracitatem Dei, & eius reuelationem; alteram vero, rem & eius causas intrinsecas, & euidenter, quales ex demum cumque sint. Quid mirum ergo, quod exterior propositio, nec fidei, nec scientiæ obiectum formale proprie, ac rigorosè non sit, nec possit.

28 Quod si vergeat quis propositionem humanam saltem debere esse obiectum formale extrinsecum, & remotum, tum fidei, tum etiam scientiæ quod tamen huius euidentiæ, & illius certitudinem, ac infallibilitatem minuere videtur; dicendum censo vbi semel supponatur, obiectum formale remotum non nisi metaphoricè, & improprie rationem obiecti formalis adipisci, absque scrupulo concedi posse propositionem externam esse obiectum formale extrinsecum, tam fidei, quam scientiæ, nec metum esse ne propterea aliquid de vtriusque perfectione detrahatur: vtrali et enim respicit velut obiectum formale, ac motiuum proprie tale, solum aliquid certum aut euidens, ac nisi in illud proprie non resoluitur: obiectum autem remotum, & per accidens, impropriumque, etsi in euidens incertumve sit, ut non tamen esse, ita nec etiam imperfectionem ullam, aut incertitudinem, siue ineuidentiā in scientiam fidemve influat.

29 Haud me latet, non paucos in ea esse sententia, ut existiment obiectum formale extrinsecum, & remotum proprie, & simpliciter obiectum formale esse. Quod etsi falsum sit, permitto tamen, & aliud conditionis obiectiua ab obiecto formali etiam extrinsecò discrimen exhibeo, ne doctrinam certam per incertam explicare videar. Conditio igitur obiectiua, cuiusmodi est exterior propositio, & doctrina magistri naturalis, aut supernaturalis, non mouet ad fidem, vel scientiam, quas proponit, nec alterutrius ratio suasiua est, sed duntaxat deferuit ad excitandas apprehensiones assensus fidei, aut scientifico præuias, quæ si aliunde excitarentur, à deo vè supra quam naturæ ordo postulat, infunderentur haud dubie superflueret omnis humana propositio, & doctrina. Ceteram obiectum formale

male extrinsecum, & remotum, cuiusmodi iuxta plures est obiectum præmissarum respectu conclusionis, non suppetit tantum ad excitandam apprehensionem conclusionis, eaque esto aliunde excitetur, non propterea illud superfluum, aut præteruacaneum erit, sed potius, quæ est eius cum obiecto conclusionis connexio, ad eius assensum tum etiam mouebit, atque intellectum inclinabit. Obiectum autem formale propriè sumptum est motuum actus propter quod elicitur vt suprà definiuimus: cum ergo obiectum formale etiam extrinsecum propriè moueat, vt supponitur; conditio vero obiectiua non moueat, sed tantum excitet apprehensiones obiecti motionem præstituri, equidem non est quamobrem conditio obiectiua, siue propositio humana ecclesiæ: aut doctrina magistri, scientiæ, aut fidei obiectum formale etiam extrinsecum censetur.

30 Vtraque ratio discriminis confirmatur, & declaratur, quatenus propositio humana iuxta neutram ita se habet comparatione fidei, aut scientiæ, sicut obiectum præmissarum respectu conclusionis formalis. Namque si priorem spectes, conclusio intrinsecè, & proximè attingit præmissas obiectiuas, vel in seipsis prout talibus, vel certè in conclusione obiectiua ab eis realiter indistincta; nemo enim est, qui alterutram harum tendentiam conclusioni denegat, qualis autem cunque admittatur ea sufficit, vt conclusio propriè, & simpliciter attingat obiectum præmissarum formalium iuxta dicta in Dial. lib. 8. cum de præcisionibus obiectiuis egimus. At fides, & scientia propositionem præuiam rei creditæ, aut scitæ non attingunt intrinsecè, & propriè: unde non est cur eam veluti obiectum formale propriè sumptum respiciant, vtvt conclusio velut tale obiectum præmissarum habeat. Quod si secundam rationem discriminis spectes, & ab omni reflexione etiam implicita conclusionis in præmissas suas præscindas, eamve, si maus, contra quam omnes sentiunt, abnuas, dicendum nihilominus est, præmissas immediatè, & propriè mouere ad assensum conclusionis, & non tantum mediatè, siue mediis apprehensionibus, quas excitat. Huiusmodi autem genus motiouis propriè, & immediatè, quæ præmissis obiectiuis conuenit respectu conclusionis ad eas, aut nullo modo, aut strictè quidem, & intrinsecè non terminata multi putant sufficere, ad hoc, vt, licet sint obiectum formale extrinsecum conclusionis, propriè tamen sint eius motuum, exindeque obiectum formale. Nobis certè oppositum magis aridet: si enim non sunt propriè obiectum conclusionis (obiecti namque est terminare, non terminant autem vt supponitur propriè, & immediatè conclusionem) qui poterunt esse propriè eius obiectum motuum, siue formale? Sed de hoc alibi: modo permissa eâ doctrinâ planum est, conditionem obiectiuiam, siue præuiam rei propositionem non esse obiectum formale, ac motuum, quoniam propriè, & immediatè non mouet, cum tamen præmissa ita moueat. Quod autem attinet ad obiectum materiale, eius à conditione obiectiua discretio est in aperto: nam conditio obiectiua obiecto formali, ac multo maximè materiali præluet, & ante vtrumque cognoscitur; materiale vero, nec prius seipso, nec prius formali cognoscitur.

CAPVT IV.

Aliqua aduersus predictam diuisionem obiecti formalis, & materialis difficultates.

31 QVod vetus illa, & ex Arist. quidem ipso lib. 2. physic. tex. 17. desumpta obiecti diuisio in formale, & materiale magis clucescat, aliqua aduersus eam obiectiones struendæ, destruendæque. Prima esto, eius diuisionis membra inuicem includi, & indistincta esse, contra bonæ diuisionis leges; haud secus ac si viuens in animal, & hominem diuideretur. Assumptum probatur: quoniam idem potest esse obiectum formale, & materiale simul, & semel, vt aiunt: membra igitur superioris diuisionis inuicem inclusa, & indistincta sunt. Antecedens suadet primo: quia sanitas ex. c. est obiectum formale Phlebotomiæ quæ in illam refertur, & materiale respectu voluptatis, aut virtutis, in quas refertur. Rursus secundo: quoniam à definitione ad definitum arguitur hunc in modum; omne animal rationale est homo; Petrus est animal rationale, ergo est homo; definitum est obiectum materiale, & definitio obiectum: sed definitio, & definitum vnum, idemque est: idem ergo est obiectum materiale, & formale. Præterea tertio: Deus vno simplicissimo actu essentia propter relationes diuinas, & has propter essentia amat, sic vt essentia, & relatio mutuo & vicissim sint obiectum formale & materiale: essentia obiectum formale relationis, quia relatio propter essentiam infinita bonitate absoluta præditam amatur: eademque essentia obiectum materiale relationis, quia propter relationem infinita bonitate notionali affectam amatur. Atque eadem ratione relatio est obiectum formale, & materiale essentia, ob quam ametur & in cuius amorem allicit. Et quidem hoc pacto sentit de essentia, & relatione P. Pet. Hurt. in manuscriptis Theologicis in primam p. eiusque q. 19. B. Thomæ.

32 Pro solutione huius difficultatis; præmitto primo diuisionem aliam esse realem, siue in membra realiter distincta, aliam solius rationis, siue in membra ratione tantum distincta; deinde vtramque aliam esse in membra, siue inferiora ex parte solius actus, seu formæ distincta, aliam vero in membra ex parte obiecti, seu materiæ distincta. Diuisio animalis v. c. in hominem, & belluam est realis; diuisio entis in vnum, verum, & bonum est solius rationis; Diuisio substantiæ in corpoream, & incorpoream, siue corpoream in cœlestem, & sublunarem est ex parte obiecti, siue materiæ; diuisio accidentis quinti prædicabilis in album & dulce, aut prædicabilis vt sit in genus, & speciem, quæ quoad subiectum obiectum-ve saltem realiter non distinguuntur, est quidem diuisio ex parte formæ, siue actus. Præmitto 2. obiectum materiale, & formale duo includere intrinsecè, scilicet obiectum, & actum, quo gratia sui, aut alterius attingitur, illud plerumque in recto, hunc in obliquo, siue, vt aliis terminis vtatur, illud semper vt quod, hunc vero vt quo.

33 Quæ cum ita sint, dico nullum obiectum formale esse, quod à materiali, vel ex parte obiecti siue rei, vel ex parte actus, seu formæ realiter, aut ratione non distinguatur. Ad primam probationem oppositam: Sanitas, quatenus obiectum formale phlebotomiæ, actum, quo propter se amatur, intrinsecè inuoluit, & quatenus materiale actum realiter distinctum quo in virtutem, aut voluptatem referatur includit: quocirca obiectum materiale, & formale in adducto euentu ex parte actus realiter distinguuntur.

N n 4 Adde,

Adde, sanitatem tum esse obiectum formale, & materiale contemplatione diuersorum, non vero respectu eiusdem, quod satis, superque est ut obiectum in communi legitime dispescant, quemadmodum vnum, verum, & bonum congruè diuiduntur ens in communi, siue, ut verius loquar, attributum entis, quia nimirum idem quidem non sunt respectu eiusdem, licet idem sint respectu diuersorum: quod enim est vnum, idem est verum, & quod verum idem bonum, & retrorsum; sed est verum respectu intellectus, non vero voluntatis: & comparatione huius est bonum, & non verum: ac tandem vnum contemplatione neutrius, sed tantum diuisionis aut multiplicitatis quam negat.

34 Ad secundam probationem contrariam. Definitio, quatenus obiectum formale in hypothesi allata, præmissas includit, definitum vero, quatenus materiale, assensum conclusionis: quamobrem obiectum formale ac materiale tum ex parte actus distinguuntur, cum præmissæ à conclusione, vel realiter, vel ratione distinguantur, prout discursus formalis, aut virtualis fuerit. Ad tertiam, ac postremam probationem contrariam. Admissa eius hypothesi; actus ille diuinæ voluntatis, quo essentia est obiectum formale, & materiale relationum, etsi realiter indiuisibilis sit, ratione tamen nostra diuiduus est in duas formalitates, quarum altera essentiam Dei propter se, altera vero eam propter relationes amat: si quidem per vnam, conuenit cum actu creato, qui in essentiam diuinam propter se feratur, altera vero cum actu creato, qui in eam propter relationes feratur: conuenientia autem eiusdem rei cum aliis realiter diuersis rem ita similem, ac conuenientem eo ipso ratione distingui, atque in diuersas formalitates secerni facit, ut visitur in animali quo belluis, & rationali, quo angelis similes sumus. Quapropter essentia, prout obiectum formale, vnam formalitatem diuini actus, & prout obiectum materiale, aliam claudit: idemque de relatione respectu essentiae dicendum. Proinde non sine aliqua distinctione rationis obiectum materiale, & formale in Deo, concurrunt. Verum de hoc pauca, non quod locus latus non sit, sed quod alienus, ac theologorum proprius.

35 Altera aduersus prædictam diuisionem obiectio, ac doctrinæ nuper traditæ impugnatio sit. Obiectum formale, & materiale non constituuntur per actus, sicut superior solutio supponit: igitur ex parte actus ambo non distinguuntur. Consequentia liquet: si quidem per id vnaquæque res distinguitur ab aliâ, per quod in se constituitur, & è conuerso, proinde si gemina illa obiecta non constituuntur per actus, nec per eos distinguuntur. Antecedens probatur: quoniam obiectum formale, quatenus tale, obicitur actui: sed actus non obicitur sibiipsum, si directus, & non reflexus sit: actus igitur directus obiectum formale non constituit. Deinde nec actus reflexus illud constituit. Tum quia, iuxta plures, nullus actus creatus reflexus esse potest, à qua doctrina quidquid sit de eius probabilitate præsens quæstio independens esse debet; tum etiam quia obiectum formale, homo v.g. directè opponitur actui: sed actus, esto reflexus permittatur, tamen directè sibi ipsi nunquam opponi potest, sed ad summum reflexe: nullus igitur actus etiam reflexus obiectum formale constituit. Quod verò obiectum formale, prout tale, obicitur actui, vel inde constat, quod actus in obiectum formale, & non materiale aliquando tendat: tunc autem non obicitur obiectum prout materiale: ergo prout obiectum formale.

36 Vnâ, aut alterâ instantiâ argumentum factum eleuo: primam ex relatione disquparantiæ desumo: sola

quantitas tricubita v.g. maior est bicubita, quando quantitas bicubita semetipsâ maior non est: at tamen quod quantitas tricubita bicubitam excedat, more reliquarum relationum prædicamentaliū ex bicubita coalescit, id quod multi etiam aduersariorum in confesso habent: quamuis igitur solares cognita obicitur actui, & actus sibiipsum non obicitur, adhuc actus rem in ratione obiecti formalis constituit. Alteram instantiam, ac priori similem desumo ex relatione dominij, quâ Deus supremus creaturarum Dominus est: solus enim Deus cuiusvis creaturæ supremus Dominus est, quando creatura quidem sibiipsum superiorem non dominatur; & tamen existentia creaturarum dominium Dei intrinsecè constituit, ut cum B. Thom. 1. p. quæst. 14. art. 15. id insinuante, contrariorum etiam multi profitentur.

37 Respondeo præcisè: obiectum formale non obicitur actui, penes omne id quod includit etiam in obliquo, & ut quo, sed solum penes id quod in recto, & ut quod includit: quare licet actus sibi ipsi non obicitur, poterit tamen obiectum formale constituere, atque esse de ratione illius, si nō in recto, & ut quod, at in obliquo, & ut quo. Quando vero actus tendere dicitur in obiectum formale, potius quam materiale, haud sensus est, cum tendere in omne constitutum obiecti formalis, sed duntaxat cum talis esse genij, ut rei quam extrinsecè denominat, potius rationem obiecti formalis, quâ materialis impertiat. Quod exemplo philosophico clarebit: anima ab Arist. 1. de anim. definitur, *actus corporis physici organici potentia vitam habentis*: hoc autem ita intelligendum non est, ut anima sit actus corporis physici, &c. penes omnia ea, quibus corpus tale constituitur: tum quia corpus constituitur in ratione vitam habentis per animam, & ut sentit B. Thom. 1. p. q. 78. art. 4. in ratione corporis; & tamen anima non est actus sui, nec seipsam informat: tum etiam quia corpus constituitur in ratione organici per organa & accidentia corporea, interna, & externa, ac sensibus obuiis, quorum tamen anima actus & forma non est: similiter ergo quando actus vitalis, cognitio nimirum, aut amor, dici consuevit attingere obiectum formale prout tale, id ita accipi non debet ut attingat obiectum formale penes omne id, quod includit, sed ut solum penes id quod in recto atque ut quod importat, eique denominationem illam extrinsecam obiecti formalis attribuat.

Tertia, ac postrema obiectio, necnon etiam superiorum confirmatio sit. Obiectum materiale, & formale distingui quoad actus, est inadæquate tantum ea distingui: at hoc non sufficit, ut ratione communem obiecti legitime diuidant: talis ergo diuisio reiicienda. Minor est in perspicuo: namque homo, & animal inadæquate distinguuntur; aliquid enim est in homine, quod est formaliter, & ratione nostra animal, ipsum nempe animal, & aliquid, quod non est formaliter animal scilicet rationale: nihilominus tamen viuens ut sic in hominē, & animal congrue non inducitur: inadæquate ergo distinctio inferiorum haud sufficit, ut ex rationem superiorem rectè ac legitime diuidant, ac secernant. Verū operosum non est, hanc obiectionem repellere, modo duplicem distinctionē inadæquatam, inuicem distinguamus: bifariam ergo conceptus aliquis ab alio inadæquate censetur distinctus: primò si alter ex toto in alio formaliter includatur; nihilque illius non aliū ingreditur, haud tamen retrorsum, & è conuerso: hæc autem distinctio inadæquate bonæ diuisionis leges violat, ut exemplo argumenti constat; propterea namque viuens in animal, & hominem incongruè diuiditur, quoniam animal, & homo ea inadæquate distinctione, ut

ut totum animal quoad omnes eius formalitates in homine formaliter claudatur, etsi è diuerso totus homo in animali formaliter non reperiatur. Alia distinctio inadæquata est, ea munere cuius vnus conceptus aliquatenus parte, seu formalitate ab alio differt, & aliquatenus cum eo conuenit, neuter tamen totus in alium penetrat deue eius ratione formali est: atque hæc inadæquata distinctio inferiorum abunde est, vt ea rationem superiorem rectè, & contentaneè dispeſcant: nisi enim hoc pacto non distinguuntur cognitum, & amatum; & tamen rationem communem concreti intentionalis, & extrinseci rectè diuidunt: nisi etiam eo modo non distinguuntur album, & dulce; & nihilominus quale in communi sibi proximum optimè dissepant: mille alia, sed his similia. Porro obiectum formale, & materiale, quorum causa hæc exempla adducta sunt, & plura possent adduci, ita quidem distinguuntur inadæquate, vt re cognita, vel amata tenus conueniant, & actu tenus differant, tamen neutrum se toto, & quoad eius vtramque partem in alio claudatur, ac formaliter imbibatur: quare obrem hæc distinctio sufficit, vt obiectum in communi ambo optima ratione diuidant.

C A P V T V.

Varia species obiecti formalis, & materialis.

38 **O** Biectum formale subdiuiditur, in formale quod, & quo, seu, quod perinde est, in obiectum formale præcisè, & rationem formalem obiecti. Obiectum formale quod, est quod ratione sui, siue propter se secundo tamen attingitur. Obiectum formale quo est quod ratione sui, seu propter se primò attingitur: attingi autem propter se secundo est ita obiectum attingi, vt præsupponat aliud prædicatum ratione distinctum, beneficio cuius attingatur: attingi propter se primo est ita obiectum attingi, vt non præsupponat tale prædicatum, ratione cuius attingatur, sed potius ipsum sit ratio, qua attingantur alia. Ex. c. candor est obiectum formale quod meæ visionis, quia præsupponit rationem coloris, aut visibilis à se distinctam, & se priorem, ratione cuius videtur: visibilitas autem, vel color est obiectum formale quo, vel ratio formalis obiecti, quia aliud, quo videatur implicite, aut explicite minime præexigit, sed potius, vt videantur inferiorum colorum differentiæ, præexigitur. Porro aliud est colorem, aut visibile esse prius candore, aliud meam visionem coloris esse priorem visione candoris: illud prius tantum asserimus, & plane verissimum est; valet enim consequentia à candore ad colorem, & visibile; non autem retrorsum, & è conuerso, in qua irreciproca consequentia prioritas logica, qua de agitur, consistit: hoc posterius nequaquam firmamus, neque ad veritatem accedit; hæc enim mea visio candoris, & hæc eadem mea visio coloris mutuo conuertuntur, & ab altera ad alteram consequentia tenet. Cæterum sicut color candore logicè prior est, ita visio coloris vt sic, & in abstracto sumpta visione candoris antiquior, priorve est, & horum vnum verum esse ex alterius veritate consequitur, neque præterea aliud ad nostram duplicis obiecti finitionem necessariū est.

39 Obiectum formale quo, siue ratio formalis obiecti, alia est ratio formalis obiecti vt res, & formalis ob-

iecti vt obiectum, siue quod perinde est, alia est ratio formalis sub qua, & alia formalis qua. Ratio formalis qua, siue obiecti vt res cuiusmodi est color explicite attingitur, ratio formalis sub qua, siue obiecti vt obiectum, qualis est visibilitas implicite duntaxat, non vero explicite attingitur. Hanc rationem discriminis attingit B. Tho. 1. p. q. 16. art. 3. ad 3. ibi enim ait cum intelligitur ens, non hoc ipso verum, siue intelligibile explicite intelligi. En eius verba: *Et est simile, sicut si comparemus intelligibile ad ens: non enim potest intelligi ens, quin ens sit intelligibile, sed tamen potest intelligi ens ita quod non intelligatur eius intelligibilitas: & similiter ens est verum: non tamen intelligendo ens intelligitur verum.* Rursus 2. ratio formalis sub qua, siue obiecti vt obiectum per ordinem ad actum vitalem quo attingi potest definitur, & explicatur; vt cognoscibilitas, seu scibilitas per ordinem ad cognitionem, & scientiam. Ratio formalis qua, siue obiecti vt res per ordinem ad alia prædicata longe diuersa, veluti homo per ordinem ad sensiones, & discursus. Ratio formalis qua siue obiecti vt res habet differentias reales, & physicas, quibus contrahitur, at ratio formalis sub qua, siue obiecti vt obiectum per differentias intentionales contrahi postulat: etenim qualitas vt passibilis, siue materialis est dicitur ratio formalis qua, siue obiecti vt res, vt vero sensibilibis est ratio formalis sub qua, siue obiecti vt obiectum: Alia autem sunt differentiæ qualitatis, vt passibilis est, & vt sensibilibis est; illa per odorem, sonum, colorem, &c. hæc per visibile, audibile, odorabile contrahitur: quæ omnia per quam acutè explicat Caiet. 1. part. quaest. 1. art. 3. parum ab initio.

40 Obiectum formale quod aliud est intrinsecum, siue proximum, quod intrinsecè, & immediatè actum vitalem terminat, eique obicitur, quales sunt præmissæ obiectuæ respectu formalium, aliud extrinsecum, siue remotum, ad quod solum mediatè, & extrinsecè actus vitalis terminatur, scilicet medio alio actu à quo originem ducat, veluti præmissæ obiectuæ respectu conclusionis formalis ad eas non nisi mediatè terminatæ. Porro circa hanc subdiuisionem illud dubitari potest, in quo differat obiectum formale quod extrinsecum à ratione formali obiecti: siquidem præexigitur vt necessarium ad hoc vt aliud ratione illius cognoscatur, in quo nos conceptum rationis formalis obiecti collocasse videmur.

Respondeo: si de ratione formali obiecti, vt obiectum est, siue de ratione formali sub qua sermo sit, obiectum formale quod extrinsecum ab ea tripliciter differt: primò quia obiectum formale quod extrinsecum per actum vitalem explicite attingitur: secundò quia per ordinem ad prædicta realia, & physica definitur: tertio quia per differentias physicas, & reales contrahi postulat, vt videre est in syllogismo quo ab homine ad eius definitionem arguitur, ac de Petro v. g. eò quod homo sit, esse animal rationale concluditur. At illis tribus ratio formalis destituitur vt ex dictis nuper constat. Sin autem sermo sit de ratione formali qua nuncupata, siue de ratione formali obiecti vt res est, sanè obiectum formale quod extrinsecum multifariam ab ea differt: primò quoniam ratio formalis qua cum obiecto formali quod, velut ratio superior cum inferiori comparatur, vt in colore respectu candoris visitur: at obiectum formale extrinsecum cum formali intrinseco non contèditur tanquam superius cum inferiori, vt cum arguitur ab vno inferiori & singulari ad aliud etià singulare, & ex eo quod Socrates sit homo, eum esse animal rationale, aut è diuerso colligitur: 2. quoniam cognitio obiecti formalis extrinseci multoties distincta est

est à cognitione obiecti formalis intrinseci, eaque prior, cum altera ab altera originem ducat: at vero cognitio obiecti formalis quod, à cognitione obiecti formalis quo, siue rationis formalis indistincta est; haud enim est alia visio, qua colorem, & alia qua candorem conspicio: vnde etiam fit, vt neutra cognitio altera prior esse queat, aut posterior: demum tertio, quia attingentia obiecti formalis quod, & rationis formalis in singulari sumptæ conuertibiles sunt, vt superius vidimus: sed attingentia obiecti formalis intrinseci, & extrinseci non debent conuerti, propter id quod præmissa sine conclusione reperiri possint, quanquam non è conuerso. En quanto discrimine dissident inter quæ aliqui nihil interesse existimabant.

41

Superest, vt qui obiectum formale pluri fariam dissecuimus, obiectum materiale omnino indiuisum haud relinquamus. Illud ergo diduci solet in materiale proximum, quod immediatè, & intrinsecè attingitur, tamen non ratione sui, sed alterius motui, & materiale remotum, quod immediatè, & intrinsecè non attingitur, sed tamen attingi dicitur, duntaxat quoniam aliquod eius accidens attingitur, vt cum paries videri dicitur, propterea quod eius albedo conspiciatur. Quanta proprietate obiectum materiale remotum sit obiectum inter authores non omnino consonat. P. Hurtadus disp. 1. Log. sect. 1. censet, obiectum materiale remotum non nisi improprie obiectum nuncupari, eò quod variato obiecto hoc eius attingentia non varietur, sed eadem persistat, vt cernere est in eucharisticis accidentibus, quorum sensus, & experimentum idem prorsus est ante, & post consecrationem, quando panis substantia euanesceat. Parum tamen, aut nihil premit hoc argumentum: quod enim variato obiecto remoto, actus idem, & inuariatus persistat, id tantum concludit, obiectum remotum esse contingenter, & non necessario obiectum: quod autem contingenter tale est proprie quidem tale esse potest, Deus enim, licet contingenter, proprie tamen amatur à nobis: tum etiam quia volitio libera Dei variato obiecto creato inuariata, & simpliciter immutata perseverat, cum Deus mutationis omnis incapax sit, & tamen existentiam creaturæ veluti obiectum proprie tale sibi præfigit, eamque proprie velle dicitur: similiter ergo, quamuis attingentia obiecti remoti eo variato non varietur, adhuc obiectum remotum proprie obiectum dici merebitur.

42

Alij diuersam sententiam tutantur, & obiectum remotum semper dicendum proprie obiectum censent: quoniam causa remota hoc ipso est proprie causa, & ignis v.g. interuentu caloris sibi inherens lignum calefaciens, illud proprie calefacit; quod etiam facit commune, ac receptum axioma, *causa causæ est causa causati*: quidni ergo obiectum remotum, mediatumque proprie sit obiectum? Sed neque hoc argumentum vrget: falso enim assumitur, causam remotam proprie causam esse, ignemve mediatè calefacientem proprie tamen calorem alicubi operari: eque nãque huius doctrinæ probatio: certè nulla: axioma quidem hoc tantum concludit, causam causæ esse etiã causam causati, haud tamen tanta proprietate eam producere causatũ quanta causã producit: sic amor finis necessaria ratione est amor mediorum, sed aliter, & aliter: illius enim est intentio, horum electio: illius amor intensior, ac maior, horum minor, vt potest propter illum: illius denique explicitus, & formalis, & horum fortassis solum implicitus, & virtualis. Sufficiens est eius doctrinæ

improbatio nullam illius probationem afferri, sed statim positio, vt aiunt, argumento improbabatur.

43

Nonnulli, vt litem hanc disceptent, distinguendum putant, aiuntque; quando obiectum remotum immediatè non potest attingi per actum eiusdem generis rationis, tum proprie obiecti, quo pacto paries proprie videri dicitur, seu esse obiectum visionis, quoniam visio ad substantiam parietis transmitti nequit: at vero quando obiectum materiale remotum immediatè respici potest per eundem similemve actum, tum eius obiectum proprie dici non posse; qua ratione albedine cognita, non propterea censor eius subiectum cognoscere, quin potius illud multoties ignoro; quia cognitio mea immediatè respicere potest subiectum albedinis, vnde huius solius cognitio haud illud proprie cognitum denominat. Item quamuis quis alterius nobilitatem, speciemve amet, eique inuideat ac sibi desideret, non idcirco eius personam amare censetur, quin etiam fieri potest, vt eam odio prosequatur, nimirum quia amor in ipsam personam ferri potest, & solet idque immediatè, & proximè. Hæc tamen distinctio mihi haud omnino placet: namque causa remota semper impropria est, vt latius exposui in physica, & mox strictius ostendam; & tamen aliquando effectum remotum immediatè producere posset, vt cernere est in igne, qui calorem in ligno mediatè productum in semetipso produceret, si causæ primæ (cuius est determinare indiuiduatione effectuum) id libuisset: aliquando vero eum immediatè producere effectum remotum repugnat, vt videre est in aqua calida calorem, quem immediatè, & proximè operari non valet, mediatè tamen manui, aut alteri rei imprimere: non obstante ergo simili discrimine quod elucet in modo, quo obiectum remotum attingi potest, semper nihilominus erit improprium obiectum. Præterea locutiones in contrarium adductæ parum habent momenti: qui namque albedinem cognoscit hoc ipso subiectum, quod est album, dignoscit saltem genericè tamen non specificè, anve lignum v. g. aut lapis sit id, quod ei qualitati subiacer. Is etiam, cui alterius nobilitas speciefve præcisè sumpta complacet, animoque recurat, haud dubiè talem amare censetur, nisi contrarius, potentiorve affectus inuidiæ, odiue eiusmodi denominationem intercipiat: si ergo modus loquendi in argumentum assumatur nihil erit, quo se aduersarij tucantur. Quod etiam aliter suadeo, ac ni fallor persuadeo: ipsi enim, & quidem satis consentaneè ad sua principia, dicunt, hominem v. g. proprie, & simpliciter tangi, quando in suis accidentibus quantitate scilicet, & qualitate tangitur; & tamen licet eius vestes tangantur, hoc ipso tangi communiter dicitur, ac censetur. Pleni sunt libri sacri, & etiam profani eiusmodi loquutione. Modo sufficiat locus ille Lucæ c. 8. vbi mulier fluxus sanguinis laborans dicitur Christum tetigisse, cum tamen eius solam vestem attigisset: en verba: *Accessit retro, & tetigit simbriam vestimenti eius: & confestim stetit fluxus sanguinis eius, & ait Iesus, quis est, qui me tetigit: ac paulo infra, & dixit Iesus tetigit me aliquis, nam ego non in virtutem de me exiisse.* Quamuis ergo aliquid remote attingatur, possitque immediatè attingi, hoc tamen non obstante attingi dicitur, ac censetur, ac proinde modus loquendi, quo potissimum innituntur aduersarij, eis neutiquam fauet.

Inter has sententias quæ primo loco adductæ est mihi magis probatur, et si eius fundamentum improbaui,

44

probauerim, alioque vtendum arbitrer: quod ita iacio: cognoscere, siue amare mediata non est proprie cognoscere, aut amare: ergo etiam cognosci, & amari mediata haud erit proprie cognosci, aut amari: cum ergo esse obiectum sit cognosci, & amari, profecto obiectum remotum propriam rationem obiecti minime sortietur. Antecedens, vnde reliqua rite sequuntur, hunc in modum suadet, Deus mediate amat malum, medio scilicet libero arbitrio nostro, quod voluit, & creauit, & tamen proprie malum non amat. Item Deus mediate cognoscit falsum, medio videlicet intellectu nostro multoties falso, & tamen proprie, ac simpliciter non fallitur, nec, quod perinde est, falsum pro vt tale cognoscit affirmatue: cognoscere ergo, aut amare mediate, nisi improprie denominationes non sunt, si absolute, & sine illa restrictione fumantur. Confirmatur: quoniam causa remota nunquam non improprie causa est, vt in physica late ostendi; & quidem alias Deus esset proprie causa moralis peccati, est enim causa moralis mediata, seu remota peccati, cum sit causa moralis nostri liberi arbitrij, quod moraliter malum, ac peccatum operatur: pari ergo modo obiectum materiale remotum actus eius obiectum, nisi improprie non erit.

CAPVT VI.

Aliqua de obiecto formali, & materiali notationes.

Notandum primo, aduersus P. Rodericum disp. 1. Log. sect. 1. antequam res actu, vt aiunt, propter se, vel propter aliud cognoscatur, aut ametur, eam dici debere obiectum formale, aut materiale radicaliter: hoc enim pacto esse obiectum formale, aut materiale nihil aliud est, quam posse cognosci vel amari sui, aut alterius gratia; hoc namque vocola illa *radicaliter* denotat. Res autem quaevis antequam actu cognoscatur sui, aut alterius ergo, potest ita cognosci, vel amari. Obiicies tamen ex P. Roderico vbi supra, hominem hoc tantum ipso, quod possit esse albus fore radicaliter album, quod tamen absurdum videtur. Respondeo concessa sequela, & negata consequentis absurditate, cuius probationem desidero. Obiicies iterum ferme ex eodem bonitas obiectiua rei suapte natura est indifferens, vt ratione sui, vel ratione alterius expectatur nec magis priori modo, quam posteriori expectari postulat: indifferens igitur est, vt sit obiectum formale, aut solum materiale formaliter. Proinde radicaliter non est obiectum formale, aut materiale, sed ab utroque praescindit: quemadmodum, quia animal a rationali, & irrationali praescindit, & ad vtrumque indifferens est, nec radicaliter rationale est, alias per irrationale contrahi non posset, nec radicaliter irrationale, alias per rationale determinari nequirer.

Occurrendum tamen huic obiectioni hoc modo: aliud est, bonitatem, aut veritatem obiectiuam esse obiectum formale radicale, potius quam materiale, vel e conuerso: aliud eam ex aequo, ac simul esse vtrumque obiectum radicaliter, siue in actu primo: illud prius falsum esse persuadet obiectio, neque de mente nostra, aut fortassis etiam aliquorum aduersariorum est: hoc posterius a nobis assertum est, & veritati consonum esse haud aegre probatur. Tum quia, vt superius vidimus idem

respectu diuerforum, & quod plus est, respectu eiusdem est obiectum formale, & materiale etiam in actu secundo: a fortiori ergo idem erit obiectum formale, & materiale radicaliter, & in actu primo; veluti quia idem simul audiri, & conspici potest, simul etiam visibile, & audibile est, & quia idem simul intelligitur, & amatur, simul etiam intelligibile, & amabile est. Tum etiam quia esto eiusmodi obiecta formaliter sumpta oppositionem, & impossibilitatem haberent, tamen radicaliter usurpata ea destituuntur, non aliter ac eadem res simul amabilis, & detestabilis est, cum tamen simul amori, & detestationi, siue odio esse nequeat; eademque veritas simul affirmabilis, & negabilis est, cum tamen simul affirmari, & negari non possit: aliud enim est similtas potestatis ad affirmationem, & negationem; amorem, & odium, & potestas similtatis vtriusque; hac impossibilis, illa possibilis est.

Notandum secundo, aduersus alios, denominationem obiecti formalis, aut materialis radicaliter sumpti esse aliquatenus intrinsecam, etsi non penes formam, quia fortassis forma denominans aliquid cognoscibile, aut amabile propter se, aut propter aliud, siue quod perinde est obiectum formale, aut materiale radicaliter, est solum cognitio, & amor in potentia, adeoque est forma omnino extrinseca vt in praesentiarum disputandi gratia permitto; at saltem ratione subiecti. Probatur haec doctrina: quoniam omnis denominatio conueniens alicui rei, deque ea praedicabilis ei est intrinseca ratione subiecti, licet non ratione formae, si enim ea denominatio praedicatur de re, ergo cum ea identificatur, adeoque ei intrinseca est: esse namque idem, est reuera esse intrinsecum; imò nil magis intrinsecum, quam quod idem. At esse radicaliter obiectum formale, aut materiale, siue cognoscibile, vel amabile est denominatio quae de re ipsa praedicatur, eique conuenit: ei ergo quodammodo intrinseca non esse nequit. Item esse obiectum formale, aut materiale radicaliter v. g. esse cognoscibile propter se non est sola cognitio possibilis: ergo insuper est res ipsa cognoscibilis: huic ergo totalis denominatio eadem, adeoque intrinseca quadatenus est. Rursus tertio: etsi non omnis denominatio esset aliquomodo, & salte subiecto tenus huic intrinseca, etsi inquam, hoc quod omnes scriptores, quos viderim verum censeunt verum tamen non esset, ceterum de denominatione obiecti radicalis, eam quodammodo intrinsecam esse nescio qui negari posset: esse enim obiectum radicaliter est esse in radice ipsius rei, adeoque intrinsece obiectum, vt vim eius vocola *radicaliter* pendenti constabit.

Contrarium tamen aliqui Neoterici tenent, atque ita argumentantur: quando ager salutem exoptat, aut effera patens prole beari desiderat, nec saluti, nec proli praedicatum aliquod intrinsecum inexistit; & tamen tunc sunt obiectum formale, aut materiale radicaliter, siue in potentia, cum ab actu ad potentiam consequentia valeat: quod igitur sint obiectum formale, aut materiale radicaliter a praedicato aliquo intrinseco non habent, siue, quod proinde est, eis intrinsecus non aduenit. Assumptum probatur: quoniam salus, & proles quoad solam cognitionem, & complacentiam, quas terminant, existunt, sed cognitio, & complacentia eis non sunt intrinseca, sed potius omnino extrinseca. Nec valet, si quis possibilitatem existendi eis intrinsecam asserat. Tum quia etiam

etiam hæc possibilitas eis extrinseca est, & à solâ omnipotentia Creatoris tanquam forma denominante profecta, tum etiam quia non possibilitas, sed existentia prolis est obiectum formale, ac materiale radicaliter; ea enim est, quæ desiderium terminat; ac existentia eis intrinseca & essentialis non est: quod ergo sint obiectum formale, vel materiale radicaliter id nulli prædicato intrinseco debent.

49 Respondeo tamen ex facili: aliud est, rationem obiecti formalis radicaliter sumpti entitati intrinsecam esse, aliud entitati prædicatum aliquod intrinsecum actu inesse, siue inexistere, à quo, quod sit radicaliter obiectum formale, & materiale fortitur: hoc posterius solum confutat obiecta ratio, at id à nobis nunquam statutum: illud prius nostra assertione statuimus, & verissimum esse, & argumanta nostra conuincunt, & etiam exemplum existentia, quo aduersarij maxime nituntur: ipsa enim existentia, antequam in actum transferatur à seipsâ indistincta, siue eadem, sibi que, quod consequens est, omnino intrinseca est; namque per productionem, vi cuius in actum transfertur, non identitatem, siue indistinctionem, sed sui, & identitatis suæ diuersum statum obtinet: at existentia, antea quam producat, nullum prædicatum actu inest: pari ergo modo obiectum formale, & materiale radicaliter sumpta rei alicui intrinseca esse possunt, tamen nullum ei prædicatum actu inexistat, summa horum est, rationem obiecti formalis, & naturalis radicaliter sumpti esse intrinsecam alicui rei est ab eâ esse indistinctam, non vero eam existere.

50 Notandum est tertio aduersus P. Rodericum vbi supra; quoties plura obiecta formalia propter se inuicem serie quadam, & vt aiunt, subordinatione amantur, quodlibet eorum proprie, & rigoro obiectum formale esse. Probatur: quando, verbi gratia, quis vocat famulum, vt Phlebotomum accersat, & huius aduentum desiderat propter scissionem venæ, & hanc propter tenuationem humorum, & hanc propter salutem, quodlibet horum obiectorum formalium, dempto ultimo tale est, vt propter illud, aliud quidpiam ametur: igitur ipsum propter se amatur: nisi enim aliquid propter se ametur, fieri nequit, vt aliud propter ipsum ametur; ergo quodlibet eorum obiectorum formalium, quæ intermedia vocant, proprie obiectum formale est, quando huius quidem definitio est attingi propter se. Deinde quis negat, obiectum formale quod propria, ac stricta ratione obiectum formale esse; candorem, verbi gratia, proprie, & formaliter obiici visioni, at huiusmodi obiectum propter aliud nempe propter obiectum formale quo attingitur, & non nisi propter se secundo attingitur, idcirco enim candor videtur, quia est color, adeoque propter hunc videtur: quanquam ergo obiectum formale intermedium, quod illudcunque sit, propter aliud ametur, ac nisi propter se secundo ametur, id tamen non obstat, quominus obiectum formale proprie tale censeatur. Item supra tract. 7. cap. 1. huius libri aduersus plures scholasticos, quos refert, ac sequitur P. Vasquez tom. 1. in 1. 2. d. 4. cap. 2. ostendi fines intermedios, & in alium vltiorem destinatos, proprie tamen fines esse: id quod Aristoteles 1. Ethic. cap. 7. liquidissima ratione docet: ergo etiam obiectum formale intermedium, in aliudque relatum, hoc tamen non obstante, obiectum formale strictè erit, cum pro-

pter illud, aliud quidpiam ametur, consequentia est in propatulo; tum quia ij; quibuscum concertamus, censent, obiectum formale, finemque in idem coincidere; tum etiam quia esto aliquo momento inuicem differant, multo magis erit de essentia, & natura finis, vt in alium vltiorem non referatur, quam de ratione obiecti formalis, quandoquidem nomen ipsum finis statum cum vltiori progressu impossibilem præfert: quamobrem si finis strictè talis est, etiam si in eo non sistatur, sed ab eo ad alium gradus sit, profecto à fortiori, vt aiunt, id de obiecto formali putandum erit. Atque hinc, quæ in contrarium opponi possunt, facilem solutionem habent.

51 Notandum est 4. obiectum formale, & materiale dici per proportionem ad similitudinem materiae, & formæ physicae, ei intrinsecæ; quoniam sicut materia est indifferens ad hanc, aut illam speciem humanam, verbi gratia, vel equinam constituendam, & determinatur per formam hanc speciem præ illa constituit, ita similiter obiectum materiale haud raro est indifferens ad hanc, aut illam scientiam, vel virtutem, & ab obiecto formali determinatur, vt ad hanc scientiam, seu virtutem attineat. Exempli causa hæc veritas *Deus est* deducta ex præmissis lumine naturæ cognitis ad physicam, & metaphysicam spectat; deriuata vero ex lumine, ac radio supernaturali diuinæ reuelationis ad Theologiam, ac fidem spectat. Quod acute notauit P. Hurt. disput. 1. log. sect. 1.

52 Addiderim vtrumque obiectum ita fortassis nuncupatum fuisse ob proportionem cum formâ extrinsecâ, seu vi effectiua, aut virtute actiua causæ efficientis, necnon etiam cum passio, ex cuius potentia respectiua educitur forma intrinseca: quemadmodum enim vis actiua causæ efficientis subiectam materiam ad formam mouet, sic obiectum formale ad materialis assensum, vel amorem mouet, & impellit. Porro vim actiuam causæ efficientis formam appellari testes sunt plerique scholastici, & eos inter B. Thom. quæst. 3. de potentia art. 3. dicendum, quod *virtus naturalis, quæ est rebus naturalibus in sua institutione collata, inest eis vt quædam forma, &c.* & 1. p. quæst. 105. art. 5. corp. *unde non solum est causa actionum, quatenus dat formam, quæ est principium actionis, &c.* Mirum ergo non est si per similitudinem, & proportionem cum vi effectiua, physica vis motiua intentionalis obiectum formale nuncupata sit, & per similem proportionem cum eo, quod physice mouetur, nempe materia, id etiam quod intentionaliter mouetur, siue propter alterius motionem attingitur, obiecti materialis nomen obtineat.

53 Postremo notandum est, quod à nobis obiectum formale, & materiale appellatum, id ab aliis obiectum quo & quod ab aliis propinquum, & remotum; ab aliis obiectum motiuum, & terminatiuum nuncupari: Rursus quod nos obiectum formale extrinsecum hoc alios rationem formalem obiecti, & quod terminatiuum, hoc eos formale intrinsecum vocauisse. Præterea complures nomine obiecti formalis solam rationem obiecti formalis comprehendere, & reliqua nomine obiecti materialis: Demum quod nobis ratio formalis sub qua, hoc aliis rationem formalissimam sub qua, & quod nobis obiectum formale quod, hoc illis rationem formale sub qua esse. Quæ diuersa vocum vsurpatio præ oculis habenda, vt quid quæque in vnoquoque auctore significet, intelligamus, & in æquiuoco, quod aiunt, minime laboremus: nos certe

eas voces eligimus, quas & rebus magis accommo-
das, & probatioribus Doctorum magis vſitatas eſſe
iudicabimus.

C A P V T VII.

Obiectum totale, & partiale.

54 **I**llud eſt, quod omnibus actibus alicuius habitus,
ſcientiæ nimirum, aut virtutis obicitur: hoc,
quod aliquibus duntaxat. Aduerſus quam diuiſio-
nem illa ſeſe difficultas offert, eius alterum mem-
brum diuidens in altero claudi; ſiquidem obiectum
partiale in totali comprehenditur: quam ob rem ea
diuiſio non minus vitioſa eſt, quam ſi pars hominis
in corpus, & humanitatem ſcindatur. Reſpondeo
iuxta ſuperius dicta obiectum partiale ſumi poſſe, aut
ex parte obiecti, ſiue ipſius rei; & ſic ab obiecto to-
tali minime diſſerre, cum omne totum per accidens,
ſiue aggregatio plurium partium ab eis minime diſtin-
guatur: aut ex parte modi, ſiue actus: & ita obiectum
partiale à totali diuerſum eſſe, & in eo minime inclu-
ſum, actus enim, qui obiectum partiale vt ſic expri-
mit alius eſt ab eo, qui obiectum totale exprimit
quanquam vtique idem reiſa obiecti repræſentet.

55 At replicabis: ſi vtrumque obiectum duntaxat ex
parte actus, ſeu modi concipiendi diſſerent, quo de
cunque vnum prædicatur, de eodem alterum prædi-
cari poſſet: quo pacto rationale, & riſibile ex æquo
de iſſdem inferioribus prædicantur, nimirum quia
non ex parte obiecti, ſed ſolum ex parte modi concipiendi
eamdem rem per ordinem ad diſtincta conno-
tata diſſerunt: conſequens autem falſo falſius eſt:
quandoquidem hæc veritas obiectiua, *Deus eſt*, ea eſt,
de qua verè dicitur eſſe obiectum partiale Theologiæ
aut metaphyſicæ, quarum tamen obiectum totale
neutiquam eſt.

56 Reſpondeo duplex eſt diuerſitas ex parte modi cõ-
cipiendi: alia conſiſtit in eo, quod vnus actus clarior,
& explicatior alio ſit, aut in eo, quod rem ad diuerſa
connotata æquali claritate referat; & hæc diuerſitas
non obſeſt, quominus ea, quæ ex parte obiecti in-
diſtincta ſunt, de iſſdem inferioribus prædicari poſ-
ſint, ac debeant quod ſolum ratio nobis obiecta con-
tineat: alia diuerſitas poſita eſt in eo, quod vnus actus
collectionem, ſeu copulationem, & alter diſtributionem,
ſeu diuiſionem exprimat, & hæc diuerſitas ob
eſſe poſeſt, & prohibere, ne quæ ex parte obiecti realiter
indiſtincta ſunt, de iſſdem inferioribus enun-
tiantur: quod hoc exemplo luculenter oſtendo: *Omnis homo,*
& *aliquis homo* ex parte obiecti realiter non
diſſerunt, & quantum prior actus, alterum tantum
poſterior ex parte obiecti realiter attingit, nihilomi-
nus tamen quia *omnis homo* & *aliquis homo* hoc ſe-
cundo modo ex parte modi concipiendi diſſerunt,
alterque copulationem, & alter diuiſionem includit,
ita propterea comparantur, vt de Ignatio v.g. aliquis
homo non tamen omnis homo poſſit prædicari: hu-
iuſmodi autem eſt diuerſitas ex parte modi concipiendi,
quæ inter obiectum partiale, & totale interuenit,
& alterum ab altero ſecernit, conceptus enim huius
quaſi collectionem, & copulationem plurium obiecto-
rum, & conceptus illius diuiſionem exprimit.

57 Secunda aduerſus eam diuiſionem difficultas ſic ſe
habet: diuiſum illius cum altero diuidendum, vi-
delicet cum obiecto partiali conuertitur, quod qui-
dem vitio non caret: animal enim hoc ipſo quod in
hominem, & belluam congruè diuidatur cum ho-
mine conuerti nequit. Aſſumptum eſt in perſpicuo:

R. P. Richardi Lyncei, Philoſoph. Tom. III.

ſiquidem obiectum partiale eſt quod vni tantum
actui, aut aliquibus non tamen omnibus obicitur:
at obiectum in communi quatenus tale non omni-
bus actibus obicitur: ſed iis tantum quibus à parti-
ali, & totali materiali, & formali abſtrahitur: igitur
cum obiecto partiali recurrit, neque eo latius patet.
Quod ſi dicatur, obiectum vt ſic ex parte modi concipiendi
eſſe partiale, ſecus vero ex parte obiecti, id
falſum eſſe haud ægre probari poſeſt: namque obiectum
vt ſic ex parte modi concipiendi à partiali abſtrahit:
ergo ex parte talis modi partiale non eſt, cum
ergo aliunde ex parte modi partiale ſit, vt ſolutio
largitur, proſeſto ſimul partiale, & non partiale ex
parte modi erit, ac proinde eiſmodi diuiſio obiecti
contradictionem inuoluet. Tota viſ huius obiectio-
nis in hunc ſyllogiſmum reuocatur: obiectum in
communi tantum ſumi poſeſt, vel ex parte obiecti,
vel ex parte modi concipiendi: At vtroque modo
ſumptum ab obiecto partiali minime diſtinguitur.
Priori enim modo, ſiue ex parte obiecti nihil aliud
eſt obiectum in communi, quam collectio omnium
obiectorum, qualiacunque ſint. At hæc collectio
quorumcunque obiectorum eſt etiam re ipſa & ex
parte obiecti obiectum partiale in commune, ſi enim
ab eo diſſerret obiectiue, & reapse, maxime quatenus
obiectum in communi includit obiectum totale, ex
hoc autem nulla datur differentia, quandoquidem
obiectum partiale à totali obiectiue non diſſert, vt
initio huius capitis probatum manet: Poſteriori etiam
modo, ſiue quoad conceptum noſtrum obiectum par-
tiale eſt idem cum obiecto in communi & de eo dici-
tur, ſiquidem obiectum in communi pro vt tale,
& quatenus à nobis concipitur, & abſtrahitur non
omnibus, ſed aliquibus actibus obicitur: diuiſum
igitur eiſ diuiſionis ab altero diuidentiū adæquatur.

Reſpondeo, obiectum in communi ex parte modi
concipiendi ſumptum eſſe obiectum partiale in actu
exercito: Namque, vt recte argumentum probat,
aliquibus tantum actibus obicitur, iis videlicet, qui-
bus à ſuis inferioribus abſtrahitur: Nequaquam ta-
men eſt obiectum partiale in actu ſignato, quoniam
eiſ conceptus non exprimit diſtinctionem ab altera
comparte, ſicut eam exprimit conceptus obiecti
partialis: vnde diuiſum cum altero diuidentiū, nempe
obiecto partiali, non ita conuertitur, vt hoc de
illo directe, & formaliter prædicari poſſit: haud
enim obiectum in communi eſt in actu ſignato par-
tiale, vt diximus. Paulo etiam aliter reſponderi po-
teſt reuocata in memoriam ſuppoſitione ſimplici &
perſonali: hæc enim duplicis ſuppoſitionis diſtinctione
facta, dicendum, ſi obiectum vt ſic ſimpliciter, &
pro immediato ſignificato ſupponat obiectum par-
tiale eſſe, ſin autem perſonaliter, & pro mediato ſig-
nificato, non eſſe obiectum partiale ſolum, verum
etiam totale completi.

59 Poſtrema aduerſus eam diuiſionem difficultas eſt.
Obiectum totale non eſt ſimpliciter obiectum: igitur
obiectum in communi ſimpliciter cum partiali con-
uertitur, eoque latius non funditur: atque adeo ea
diuiſio obiecti legitima non eſt. Antecedens ſolum
probatione eget, quam ſic exhibebis obiectum totale
eſt collectio ſeu cumulus obiectorum partialium: at
collectio obiectorum non eſt ſimpliciter obiectum,
quemadmodum collectio hominum ſimpliciter homo
non eſt. Verum reſpondeo primò, proptet hoc argu-
mentum ſaris probabile mihi videnti, obiectum in cõ-
muni ſimpliciter, & proprie non diuidi per totale, &
partiale, ſed ſimpliciter per vnum, & ſecundò quid per
aliud, non aliter ac homo in verū, & pictū diſcenditur.
Porro vt hoc cenſeā haud obſcure præſt B. Th. 1. p. q. 11


art. 1. ad 2. in hæc verba: *Sic igitur ens diuiditur per unum & multa quasi per unum simpliciter, & multa secundum quid.* Vbi vt recte aduertit Caiet. indidem, & P. Suarez 1. metaph. disp. 4. lect. 4. vocula *simpliciter*, & *secundum quid*, non referuntur ad vnum, & multa, sed ad particulam *diuiditur*; quasi sensus sit, ens diuidi simpliciter per vnum, eo quod vnum sub ente simpliciter contineatur, & secundum quid diuidi per multa propterea quod hæc sub ente secundum quid contenta sint: sicut autem multa sub ente simpliciter non continentur, nec tam ens, quam entia sunt, ita obiectum totale sub obiecto simpliciter non continetur, nec tam obiectum, quam obiecta illud nominari oportet: similiter ergo obiectum per totale secundum quid, & per parziale simpliciter diuidetur.

60 Alio quoque modo præfatæ difficultati responderi potest, dicique obiectum totale aliud esse totale totalitate actus, aliud totale totalitate obiecti: obiectum totale priori ratione sumptum est, quod omnes actus scientiæ, aut virtutis terminat, ac nulli non obicitur: obiectum totale posteriori ratione usurpatum est omnium obiectorum collectio, & cumulus: sic causa alia est totalis totalitate causæ, quæ omnes causas effectus complectitur, alia totalis totalitate effectus, quæ licet vna sit in omnes tamen formalitates effectus virtutem, & actionem suam porrigit. Quanquam ergo obiectum totale totalitate obiecti vnum obiectum haud sit, sed potius multa, adeoque simpliciter obiectum esse nequeat, aut rationem communem obiecti propriè, & legitimè dissecare, vt ratio nuper facta persuadet, & Beati Thomæ, aliorumque plurium scholasticorum auctoritas conuincit: ceterum obiectum totale totalitate actus vnum esse potest, quo pacto diuina reuelatio, vna cum sit, tamen est obiectum totale fidei totalitate actus, quando nullum quidem fidei actum non terminat: veracitas etiam Dei vna cum sit, simili totalitate fidei obicitur: pari quoque modo obiectum attributionis Logicæ, verbi gratia, quod illudcunque sit, vnum profecto est; nihilominus tamen est obiectum eius totale totalitate, quam vocant actus, eo nimirum, quod singulos, & omnes illius scientiæ actus intrinsecè, aut certè extrinsecè, & per modum finis ultimi terminet, vt in loco ostendimus. Quando ergo obiectum totale totalitate actus, vnum est, adeoque simpliciter, & propriè obiectum, propriè quidem, & strictè diuidet obiectum in communi non minus quam illud, obiectum parziale dissecat, quin probatio in contrarium adducta officiat.

61 Hinc fit satis obiectioni, quæ aduersus definitionem obiecti totalis à nobis traditam confici posset: ea sic se habet: diuina reuelatio ex c. omnibus actibus fidei obicitur, & tamen non est obiectum adæquatum, ac totale fidei, quando hæc non solum diuinæ reuelationi, sed vltèrius auctoritati Dei reuelantis innititur, & vtramque simul adeoque alterutram duntaxat partialiter respicit: definitio ergo tradita aliis à definito conuenit, quo nullum in arte definiendi vitium maius. Sed dicendum est, diuinam reuelationem esse obiectum totale fidei totalitate actus, non vero totalitate obiecti, nimirum quia præter eam etiam auctoritas Dei, necnon etiam mysteria reuelata fidei obiciuntur: quare obiectionem factam nullius esse momenti aduersus definitionem ita explicatam: hæc enim reuelationi dum conuenit, nisi definito suo non competit; quandoquidem reuelatio est obiectum totale totalitate actus respectu fidei, adeoque inter nostræ

definitionis definita comprehenditur. Aliter etiam responderi potest, diuinam reuelationem non obici omnibus actibus fidei re, & ratione nostræ; pro quo ex iis, quæ superius diximus, in memoriam reuocandum est, actum fidei diuinæ, tametsi realiter indiuisibilis sit, tamen ratione nostra formali, aut obiectiuâ diuiduum esse duos in actus, quorum alter diuinam reuelationem, alter vero auctoritatem, seu veracitatem Dei reuelantis attingat: diuina autem reuelatio non obicitur huic posteriori actui proptè à priori ratione distinguitur quanquam ab eo realiter attingatur: quomobrem nequit esse obiectum adæquatum; hoc enim à nobis definitum est, quod omnibus actibus etiam proptè ratione distinctis obicitur.

Hinc alia quoque difficultas aduersus nostram definitionem obiecti totalis soluenda emergit: namque obiectum totale totalitate obiecti, siue collectio omnium obiectorum, non obicitur omnibus actibus scientiæ, cum multi sint, qui eam collectionem non attingant, imò nullus eam attingat, sed aliquam eius partem: ea igitur definitio obiecti totalis non omni definito conuenit; pari quidem vitio, ac si aliis à definito conueniret: parum ergo refert quod scyllam hanc vitauerimus, qui in charybdem illam priorem incidisse videmur. Dicendum tamen, obiectum totale totalitate obiecti aliquâ sui parte omnibus actibus scientiæ obici, & nulli non opponi; atque hoc abundè esse, vt nostra ei definitio conueniat: sic dicitur, in toto omnique huius vniuersi spatio, ipsum vniuersum esse, quia quævis eius pars in aliqua illius spatij locatur: hac ergo ratione obiectum totale totalitate obiecti omnibus actibus scientiæ adæquatur, singulæ eius partes singulis actibus comparentur. Præterea responderi potest, obiectum totale totalitate obiecti esse collectionem plurium obiectorum, adeoque potius esse obiecta, quam obiectum simpliciter, quod autem non est obiectum simpliciter, neque etiam est obiectum totale: quid igitur mirum, si huius ei definitio non conueniat, & cum sit aliud à definito sit etiam aliud à definitione.



TRACTATUS XI.

De reflexione actuum intellectus, & voluntatis.

CAPUT I.

Auctorum placita proponuntur.

63 Vobis attinet ad intellectum Diuinum quamlibet eius cognitionem etiam à seipsa sine alterius ope cognosci, velut exploratum suppono cum B. Th. 1. p. q. 81. art. 3. in corp. Præterea quod attinet ad nostrum intellectum huius instituti magis proprium, eum reflectere in suos actus, saltem per alios, eosque cognoscere, sicut & voluntatem, ac memoriam, & experientia constat, & perspicuè docetur ab Augustino lib. 9. de Trinitate, cap. 11. *Memini enim me habere memoriam, & intelligentiam, & voluntatem: & intelligo me intelligere, & velle, atque meminisse: & volo me velle, & meminisse, & intelligere: totamque meam memoriam, & intelligentiam, & voluntatem simul memini: quod enim memoria mea, non memini non est in memoria mea: nihil autem*

tam